



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

X. Beatam dicit Virginem Jesse; quia est Entis Neptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Accinuerunt ipsi Ruth Matronæ Bethleemiticæ 4. Ruth. *Benedictus Dominus quod habes qui consoletur animam tuam, & enutrias senectutem.* Quid verò S. Virgo? Noëmi rogat mulieres Bethleem: *Nolite me vocare pulchra, sed Mara, hoc est, Amara, quia me amaritudine replevit.* Omnipotens, egressa est manus Domini contra me. At Virgo sub cruce nonnè amaroris Mare? sed de hoc aliàs egimus copiosè. Noëmi parvulum Obed Ruth 4. *posuit in sinu suo, & nutricis ac gerule fungebatur officio.* Nec aliter Virgo suos clientes, sulcipit manibus, excipit sinu, æterna charitate nutrit.

io. Beatam dicit Virginem Jesse.

Quia est Entis Neptis.

Multùm eminet inter Patriarchas Isai, seu Jesse & Haus Abulensi. Nomen Jesse Hieronymo lib. 11. in Isai. 40. idem quod ens sive existens, & in beatum dicit conceptum Virginis. Isai. 40. *Omnes gentes sic sunt coram eo, quasi non sunt, & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.* Quæ verba S. Hieron. de superbia & idololatriæ intelligit. Esther verò peccatorem cap. 14. vocat non ens, cum ait. *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt.* At Virgo S. Entis Neptis, nullo itaque modo peccatrix. Isai. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Hieron. lib. 4. in Isai. 11. per Virgam Jesseam S. Virginem, per Florem Messiam vult intelligi. Felix hæc Virgâ & Flore Jesse! Isai. ibid. *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Lxx. legunt. *Exsurgat regere gentes, in eum gentes sperabunt.* De radice Jesse ait Propheta Isai 11. *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Lxx. *Erit requies ejus honor.*

ii. Beatam dicit Virginem Rex David.

Quia ab originali culpa libera.

Et factis & verbis Beatam suam Filiam Mariam David ab antiquo prædicit, & quidem adhuc ipse Juvenis Conceptum ejus maculæ expertem futurum in hunc modum depinxit. Prodiêrat gygas quidam 1. Reg. 17. cum singulis Israelitarum certaturus, hunc David lapillo e funda jacto in capite percussum ad terram dejecit. Gygantis speciem dæmon non semel assumit, sed præcipuè cum teste S. Athanas. in vita S. Anton. M. Antonio se videndum præbuit, qui evolantes in cælum animas detrucebat in imam terram. Vicit illum David, quia ut ait S. August. in Genes. hom. 46. *Puero aliquid Divinitatis inerat. Vicit dæmonem*

X

Virgo